



**Historia De Vita, Moribus, Rebus Gestis, Studiis Ac
Denique morte Praedicatorum Lutheranorum, Doct.
Martini Lutheri, Philippi Melancthonis, Matthiae Flacii
Illyrici, Georgii Maioris, et Andreae ...**

Complectens ortum, progressum [et] incrementa, tum arcana plurima
hactenus non prodita, omnium penè huius temporis haeresum

... Vita ... Philippi Melancthonis. Matthiae Flacii Illyrici. Georgii Maioris, Et
Andreae Osiandri

Ulenberg, Kaspar

Coloniae Agrippinae, 1622

Vita Et Res Gestæ Andreae Osiandri, Ab ortu obitum vsque Avtore Casparo
Vlenbergio Lippiensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65643)



VITA ET RES GESTÆ
ANDREAE
OSIANDRI,

Ab ortu ad obitum vsque

AVTORE CASPARO VLENBERGIO
 Lippiensi.

CAPVT I.

- I. *Osiandri natiuitas & patria, habitus corporis & felicissimi ingenij dotes.*
- II. *Lutheranismo imbutus Norinberga hebraicam linguam docet, concionatorq; ibidem non multo post factus Albertum Borussia Ducem à fide Catholica abducit.*
- III. *Norinbergenses religionem mutant, inuito Bambergensi Episcopo, abolitoq; Catholicae fidei exercitio, Osiandrum, mutationis auctore, superintendentem constituunt Marpurgum ad Colloquium euocatum.*
- IV. *Nouum dogma Osiandri de iustificatione aliq; opiniones eius.*

*Schlusfeld-
 burgius in
 hares. Osi-
 andr. p. 42.
 & seq. Hen-
 ricus Pan-
 thaleo, part.
 3. Bucholt-
 zerus ponit
 anno 1498.
 19. Decem-
 ANNO,
 1496.*



NDREAS Osiander anno 1496.
 14. Decemb. natus est in oppi-
 do Franconiae Guntzenhausen,
 quod sex miliaribus Norinber-
 ga distat. Patrem habuit fabrū

I.
 Osiandri
 natiuitas
 & patria,

ANNO
1496.

Habitus
corporis, &
ingenium.

Witren-
bergâ pro-
ficiscitur.

Eminentia
eius in hu-
maniori
litteratura.

Anno 1522.

II.
Noriberga
Luthera-
nismum
amplecti-
tur.

Lecturam
obit in mo-
nasterio
Augusti-
nenſium.

Câ. in vit.
Mel. p. 296.

ferrarium, cognomento Höſſman; quod cum filio litteris humanioribus iam excul- to displiceret, pro Höſſmanno ſeſe Oſian- drum appellauit. Erat Andreas homo te- tricus, ſædis moribus, vultu toruo, & facie luridâ, imo ſubnigra ad horrorem uſque, vt fabri ferrarij filium agnoſceres. Interim in- genio valebat plurimû; cumq; in patria pri- ma ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, V Vit- tenbergam profectus eſt ad vberioreſ inge- nij culturam. In ſtudiis aſſiduus fuit & in- duftriſ, eaq; cepi incrementa, vt inter vi- ros doctos ſui temporis non infimus habere- tur. Latinæ, græcæ, hebraicæq; linguæ cog- nitionem non vulgarem adeptus Lutheranæ Theologiæ myſteria ſimul, & inter primos quidē Lutheri diſcipulos imbibit: quanquā poſtmodum à Luthero eiusq; diſcipulis ſe- ceſſionem fecit, vt infra ſuo loco dicemus.

Cum verò Lutheranismi contagio longè lateq; ſe per Germaniam diffunderet, No- rinberga quoq; maturè, vel inter primas Im- perij ciuitates infecta fuit: quâ in re Oſian- der multum laborauit, licet ante annû 1524. in diuino cultu publicè nihil mutatum fuit.

Eſt in ea ciuitate monaſterium Auguſtinen- ſium, in quo Oſiander hebraicæ linguæ præ- cepta docuit, mercede ab iis acceptâ, qui docentem audiebant. Ita factum eſt, vt ob- famam eruditionis primariis in republi- ca viris innoteſceret; inter quos & Bilibal- dus Pirckheimerus fuit, vir ob doctrinam

eximiam & virtutū ornamenta celebris, qui litteratos omnes magno amore prosequeretur: Quanquam Osiander successu temporis plerosque, quibus propter acrimoniam ingenij atque eruditionem charus erat, rusticitate morum & ferocia quadam cum animi elatione coniuncta rursus abalienavit.

Iā verò quia facundiā valebat plurimum, & magno flagrabat Lutheranismi propagandi desiderio, laboratum fuit à primoribus civitatis, ut in Ecclesia D. Laurentij concionibus ad populum habendis præficeretur. Eam functionem an. 1522. mense Februar. ingressus est, & primam concionem habuit vigesimotertio eiusdem mensis die, in quem Dominica Sexagesimæ quam dicimus, tum quidem incidit, cum ex Evangelio Lucae parabola de semine solet explicari. Hanc verò nactus occasionem, in vulgus semina iecit novarum opinionum, quæ paulatim in publicam ab Ecclesia defectionem pullularunt.

Priusquam verò id fieret, Comititia Norinbergæ per absentiam Cæsaris habita fuerunt ann. 1522. quæ in annum usque sequentem extracta mense Martio primum exiuerunt. His Comitij inter reliquos Principes & Albertus Brandenburgicus interfuit, Friderici Ansbachici filius, Ordinis Teuthonici per Borussia Magister; Qui per hanc occasionem in colloquium venit cum Osiandro, propter doctrinæ famam iam tum celebri, ab eoque fraudulenter circumventus prima novitiæ

ANNO
1522.
Eius morū
rusticitas.

Concionator fit in
D. Laurētij
Noriberg.

Eius prima
Concio.

Comitia
Norinbergæ.

Albert. Borussiae Dux
ab Osiandro
inficitur.

Chyt. in
Sax.

ANNO

1523.

Mutat ritū
& religionem.

Ann. 1523.

religionis semina cupidè suscepit. Vnde re-
uersus domum, de mutatione rituum & re-
ligionis per Borussiam instituenda cogitare
coepit, cuius anno sequente 1523. sub visita-
tionis umbra factum est initium. Hoc verò
consilium dubium nō est, quin ab Oliandro
promanarit; cui non iniuria defectionem i-
stius Principis à fide maiorum, ab ordine
Teuthonico, ab Imperio Romano acceptam
ferimus.

III.

*Chyt. in
Sax. p. 325.
Ann. 1524.
Norinber-
ga mutat
religionē.*

Eius primi
autores.

Ab Episco-
po ad forū
citantur.

Sed frustra.

Cæterum cum animos hominū docendo
iam occupasset, & desiderium illis iniecisset
nouandorum rituum, tandem anno 1524.
mense Iunio in Ecclesijs Parochialibus No-
rinbergæ religio primum mutata fuit. Quam
ad rem non parum attulit momenti quorū-
dam ecclesiasticorum defectio, inter quos
primi nominis fuerunt Georgius Besslerus, &
Hector Bohemus, hic ad Sanct. Laurentium
præpositus, ille ad S. Sebaldum; quorum non
consensu modo, sed & opera studioque reli-
gionis mutatio fuit introducta. Ea res mouit
Bambergensem Episcopum ad cuius iurisdic-
tionem ecclesiasticā Norinberga pertinet,
vt citaret istos ad reddendam facti sui ratio-
nem. Illi verò, vt intentatam actionem elu-
derent, ad commune hæreticorum perfu-
gium delapsi, diuini Verbi laruam obijciūt:
Idq; ex Oliandri consilio, qui Lutheri placi-
ta Norinbergensibus obtruserat, honesto
Euangelij scripturæq; sacræ titulo, velut o-
perimento quodam obuoluta.

Cūm

Cum feliciter cessisset hæc machinatio, cœptum est Osiandri suafu de monasterijs etiam euertendis cogitari. In ijs enim supererant adhuc viri religiosi, qui non minus constanter, quàm strenuè turbulentis nouatorum conatibus obsistebant. Cum his ex Osiandri instinctu anno sequente disputatio fuit instituta de religione, in qua Lutherani iudicis simul & actoris partes egerunt; quemadmodum in huiusmodi disputationibus fieri consuevit.

Decretum igitur, vt in monasterijs cõciones Catholicæ, diuinusq; cultus, quæ per manus traditum à maioribus acceperant, deinceps ommitteretur, vtq; sacerdotes & monachi deserto ordine, habituq; mutato ciuibus permixti viuerent, ijsdẽ, quibus illi publicis oneribus ferendis obnoxij. Hos igitur, sacerdotes inquam, & religiosos voto perpetuæ castitatis obstrictos, in eundem cum secularibus redegerunt ordinem, eosque deinceps habitu, vitæ genere, statu, rebus demum omnibus ciuibus suis pares esse coegerunt, Lutheri ductum secuti, qui non modo sacros canones exusserat, & monialem domum duxerat rupto voti vinculo, sed & persuasus à diabolo, nullum esse sub euãgelio, vel noua lege sacerdotium externum, scriptis publicis inculcarat.

Atque hæc quidem Osiandri consilio nutuq; Norinbergæ peracta fuerunt; qui vt scientia & mentis elatione, ita & autoritate

ANNO
1524.
Consilium
Osiandri
de mona-
sterijs euer-
tendis.
Disputatio
de religio-
ne præsi-
di-
bus Luthe-
ranis.

Decretum
de mutãda
religione.

Item de ec-
clesiasticis.

Osiander
superinten-
dens No-
rinbergen-
sis.

ANNO
1524.

ritate inter cæteros concionatores eminebat. Itaque dominabatur in ea ciuitate stipendio satis amplo sustentatus, & velut Episcopus quidam (ipsi Superintendentem vocant) ad clauum istic sedit Ecclesiæ Lutheranae: Cui Norinbergæ præfuit ab an. 1524. quo mutata primum fuit religio, vsq; ad annum 1549. cum propter decretum Augustani conuentus, & librum Cæsaris Imperijque nomine publicatum, quem Interim vulgo appellant, è Germania cedere coactus in Borussia migravit. Interim quia inter præcipuos Lutheranae sectæ magistros censebatur, cum instituta fuerunt de religione colloquia, & hunc plerunque Protestantes in consilijs & actionibus præsentem esse voluerunt.

Ann. 1529.

Vocatur
ad collo-
quiũ Mar-
purg.

Schlusself.

in her. Osi-

andr p. 243

Lutheri de

eius fero-

cia præsa-

gium.

IV.

Vocatus fuit ad Colloquium, quod anno 1529. Landgrauus Hafsiaë Philippus ad dirimendas Lutheranorum & Zvinglianorum controuersias Marpurgi indixit: Vbi Lutherus Osiandrum in Ecclesia concionantem audiuit, & ad Melanchthonem præsentem conuersus, Philippe, inquit, Osiander habet superbum spiritum. Ille in Ecclesia Dei post mortem meam dabit magnas turbas. Hæc alta mente reponas; Tu enim videbis.

Iam & anno sequente 1530. Comitij Augustanis interfuit, & Smalcaldicæ Lutheranorum Synodo, quam an. 1537. celebrarunt, tum colloquijs ann. 1539. 1540. & 1541. Haganouiaë primum, post VVormatię, demum & Ratisbonæ celebratis. In his conuentibus, licet

licet vnà cum Melanchthone cæterisq; Lutheri discipulis Protestantium Cõfessionem tuebatur, oblatam Cæsari in Comitijs Augustanis; tamen in primario Confessionis istius dogmate de iustificatione scilicet iam tum aliam conceperat opinionem; quemadmodum paulo infrà demonstrabimus: Vt longè aliud, quam conscientia dictabat, profiteri publicè videretur.

Gerebat Osiander vti diximus, altos spiritus, & ingens supercilium: Vnde pro tumore mentis indignum iudicabat & feruile, in explicandis dogmatibus ex aliorum pendere iudicio, ijsque cancellis circumscribi, quos Lutherus & Melanchthon arbitrato suo posuissent. Itaque ne Lutheri mancipium videretur, in dogmate omnium maximo, de iustificatione scilicet, à sententia V Vittenbergensium & Augustanæ Cõfessionis in diuersum abire cœpit. Iustitiam hominis Lutherus, Melanchthon, cæteri que in sola fide cõstituunt, propter quam credentes non verè iustos effici docent, sed manente peccato pro iustis à Deo reputari. Itaque non inhærentem verè, sed imaginariam, vel, vt ipsi loquuntur, imputatiuã iustitiam agnoscunt. Quod cum absurdum iudicaret Osiander, aliud quiddam commentus est; iustitiam nostram asserens esse Deum ipsum, vel Christum iuxta diuinam naturam essentialiter in nobis habitantem, & impellentẽ ad benè operandum. Errare dicit eos, qui tantum in Christo

ANNO

1529.

Nouum
dogma de
Iustifica-
tione cõ-
miniscitur.

A Luth. se-
cedit in
propriam
hæresin.

Luth. dog-
ma de iu-
stitia im-
putatiua.

Osiandri
dogma de
iustitia es-
sentiali.

quæ.

ANNO
1529.

quærunt iustitiam; cum ea nihil aliud sit, quã
vnius æternique Dei Patris, filij, & Sancti
Spiritus essentia, habitantis quidem in no-
bis, & ad bonum impellentis, verum ita ta-
mẽ, vt essentialis Dei iustitia nobis propter
Christum imputetur, doneturque, quasi no-
stra ipsorum esset, & ex nobismet orta. Hanc
verò iustitiam, licet ea consistat in commu-
nicata nobis essentia diuina, tamen extra hu-
manam Christi naturam, ait, inueniri non
posse, cum diuina ipsius natura, quam eadem
habet cū patre & Spiritu Sancto, iustitia no-
stra fit quidem, sed non extra Christum in-
carnatum; cuius non obedientia, non passio,
non mors, & per eam acquisita iustitia, sed
quam vt Deus ab æterno habuit essentialis
iustitia, non per inhærentiam, sed per impu-
tationem nobis communicetur.

Verbum
Dei.

Huic errori de iustificacione Osiander &
alia quædam adiunxit, à Lutheranis reliquis
obseruata, quæ subijcio: Verbum Dei du-
plex agnoscit, Externum siue prædicatum
hominis ministerio, vel sacris litteris com-
prehensum; quod si non apprehendatur, fi-
dem veteribus calceis comparat, in angu-
lum proiectis: Et Internum ipsum Dei fi-
lium: Semen autem verbi Deum ipsum fa-
cit; nec posse Dei verbum appellari ait, quod

Schlusself.
in hares.
Osiand. pag.
46. & seq.

Mundus.

Deus non fit. Nec mundus, inquit, fuisset
à Deo conditus, nec creatus homo, vel vlla
creatura, nisi filius Dei carnem sumere vo-
luisset: Quia mors nullum ius in Christum

Christus.

habuit,

habuit, vt qui sine peccato fuit, mortemque ANNO
 sponte subiuit tamen, Ioan. 10. factum est, 1529.
 vt mortem sanctificarit in seipso; ita vt mors
 eius non sit stipendium peccati. Imago Dei
 (zelem) ad quam factus est homo, est ipse
 Dominus noster IESVS CHRISTVS, verus
 Deus & homo, vel facies & statura totius
 corporis, atque adeo tota substantia huma-
 nae naturae, Domini nostri IESV CHRISTI
 glorificata Dei. Demuth est eiusdem Do-
 mini nostri IESV Christi simulacrum, in quo
 visus est patribus atq; Prophetis, antequam
 incarnatus esset, sic filius Dei semper visus
 est in similitudine futurae humanae naturae
 suae, quotiescunque visus est, tam praecise, vt
 neque maior, neque minor, neque alia facie
 appareret, quam postea visus est, cum à mor-
 tuis resurrexisset: Ita vt cum patres statura
 longè grandiores essent (vt manifestè vi-
 demus singulis aetatibus decrescere humana
 corpora) admirati illius paruitatem dede-
 rint illi nomen Seraphin, id est, paruus fa-
 cie; cuius nominis frequentissima mentio
 est in mystica Theologia Hebraeorum. Ima-
 go Dei esse nulla ratione potuisset, nisi sum-
 pturus fuisset carnem Christus. Nullus ho-
 minum dici posset ad imaginem Dei creatus,
 nisi Christus esset imago Dei secundum hu-
 manam naturam.

Dicit Deus, facturū se hominem ad imagi-
 nē suā, &c. vt scilicet homo talis fieret, qualis
 Christus

Imago dei.

ANNO
1529.

*Ioan. Func-
cius in Act.
cū leg. Sax.
Lex.*

Baptism^o.

Euchari-
stia.

Post Augu-
stana Co-
mitia dog-
ma suum
fabricat.

Christus secundum humanam naturam in mente Dei prædestinatus esset. Hæc de imagine Dei doctrinam hæctenus à nemine post Apostolos rectè explicatam, sese primum ait in lucem produxisse: Lutherum vidisse quidem aliquid, sed animum non intendisse serio, ut rem vberius explicaret. Inde ex discipulis quidam asseruit; Iustitiam Adæ ante lapsum fuisse æternam & vnigenitum Dei filium. Lex ab hominibus ipsam essentialem Dei iustitiam postulat; atque illa ipsa lex est Spiritus Sanctus: postulat dilectionem, quæ est ipse Deus; quasi dicat: Tu debes esse templum Dei: In te Deus viuere debet, & esse iustitia & sanctificatio. Per Baptismum sumus in humanitatem Christi plantati & incorporati. In noua regeneratione attrahimus essentialem iustitiam Christi, quæ est Deus ipse. Cum dicitur: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, intelligendum est, quod ipsius Deitas, quæ in carne & sanguine est, nos cibet, & potet: Similiter cum Ioannes ait: Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato; diuinitas Christi est intelligenda, quæ est in sanguine. Hæc ex Osiandri scriptis notarunt Lutherani. Cæterum opinionem ipsius de diuina Christi essentia in nobis habitante, quam ad euetendam Melächthonis imputationem commētus est, post Augustana Comitia primum fabricasse videtur. In ijs enim Lutherana Cōfessionis articulum de iustificatione, vt is per

per Melanchthonem conceptus fuit, vnà ANNO
cum cæteris assensu suo probauit; quem post 1529.

obitum Lutheri summis viribus oppugnan-
dum sumplit atque euertendum: Imò voce
publica sese holtem, & aduersarium Augu-
stanae Confessionis in doctrina de iustifica-
tione professus est, vt Lutherani testantur.

Qua de re Kemnitij verba subiungo: Osiander, inquit, contumeliosè flagellat, impro-
bat, reijcit & damnat doctrinam Augustanae
Confessionis, propterea quia affirmat, iusti-
tiam fidei coram Deo esse imputationem o-
bedientiae Christi. Hanc doctrinam Augu-
stanae Confessionis vocat carnalem, phanta-
sticam, Philosophicam, idololatricam, quae
Christum pictum & fictum doceat in regno
diaboli. Et his multo atrociora addit. Hæc
ille.

Schlusself.
in her. Osi-
and p. 94.

95.
Ibid. ex Kē-
nitio, p. 101.

102.

“

“

“

“

“

“

“

“

Ibid.

Osiander igitur in primario Confessionis
articulo, quo nullum esse maiorem thesau-
rum nec in cœlo, nec in terra Kemnitius af-
ferit, à cæteris, qui Lutherum & Melanch-
thonem sequebantur, planè dissilijt, & genij
sui ductum secutus nouum quiddam exco-
gitauit, à sententia Catholicorum non mi-
nus, quam Lutheranorum & Calvinistarum
penitus alienum: Nisi quod ab opinione
quorundam Anabaptistarum, eorum præ-
cipuè, qui Dauidem Georgium
sequuntur, non multum
abludit.

Augustana
Confessio
thesaurus
incompa-
rabilis.

'ANNO
1529.

546

VITA ET RES GESTAE
CAPVT II.

- I. *Dolosa Osiandri machinatio in nouo dogmate publicando, contio in Lutherum contraque confessionis libertatem, & Biblia germanica, itēq; eius de Lutheranis gloriatio.*
- II. *Fuga Osiandri in Borussiam ob repudiatum Interim.*
- III. *Colloquium cum Staphylo, à quo erroris & mendacij conuictus Osiander.*
- IV. *Principem inficit & consiliarios aliquot, qui mox omnes partim capite plexi, partim diuinitus puniti interierunt. vbi & vide propagationem pestiferi dogmatis & hostes eius.*
- V. *Consiliarij principis pleriq; ab Osiandro auersi, imprimis verò Fridericus Staphylus ad Ecclesiam Catholicam sese recipiens.*

I. **C**AETERVM quo tempore primum hoc Cilli commentum suggesserit, Sathan, incertum est, nisi quod post Augustana Comitia factum constat; & quidem ante Synodum illam, quam Lutherani ad sopiendas inter se controuersias anno 1537. Smalcaldiaē celebrarunt. Sub id tempus Osiander semen animo iam concepisse videtur nouae illius haereseos, quā postmodum in Borussia an. 1549. Octob. mēse professione publica, velut maturum partum in lucē edidit. Interea presit animo fouitq; haustum virus: Et quanquam publicè nihil moliebatur; quod patronum non inueniret satis potentem, sub cuius praedidio

Osiandri
dolosa ma-
chinatio in
dogmate
suo publi-
cando.

fidio conceptum foetum eniteretur; continere se tamen non potuit, ut erat animi perquam impotentis, quin per occasionem proderet secretum, quod animo recoditum gerebat.

Contigit an. 1537. cum Smalcaldiae Synodus haberetur, de qua diximus, ut Lutherus pro concione dictum quoddam explicaret D. Ioannis ex epistola 1. cap. 4. & delapsus ad dogma de iustificatione, quam ipse commentus est imputatiuam iustitiam pro genio suo prolixius inculcaret. Incidit paulo post in grauisimum morbum, in quo de vita ipsius desperatum fuit. Osiander hanc occasionem nactus conscendit cathedram, atque hoc imprimis egit in concione praesentibus Theologis Lutheranis, ut Lutheri sententiam de inhabitante per gratiam Christo refelleret. Non expressit ille quidem Lutheri nomen, sed ita tractauit materiam istam, ut qui Lutherum prius audierant, facile intelligerent eum fugillari. Inter differendum haec illi vox erupit: Christus, inquit, habitat in nobis essentialiter. Videbant, qui praesentes erant concionatores, quorsum haec spectaret assertio. Sed res tum quidem dissimulata fuit; quod in illa Synodo hucusque dissidiorum, quae iam tum inter euangelicos gliscebant, tangi non expediret. Verebantur enim Principes, ne, si domestica vulnera pressius contrectarentur subcutaneum malum in publicum erumpere, magno cum ecclesiae Lutheranae detrimento.

ANNO
1529.

Ann. 1537.
In Colloq.
mens. germ.
Staphyl. in
apolog pag.
362.

Luth. con-
cilio de iu-
stitia im-
putatiua.

Eius senten-
tiam refel-
lit Osiander.

Verba do-
gmatum.

Colloq mēs.
germ. in fol.

ANNO

1537.

Lutheri
querelæ su-
per Osiandri perti-
nacia.

Lutherus verò cum conualuisset, frequen-
ter postmodum inter suos de Osiandri alio-
rumq; quorundam inobedientia, rebellionem,
atq; superbia conquestus est, & suos admo-
nuit, Osiandrum alere monstri aliquid; futu-
rum aliquãdo, vbi liberiorẽ aurã nactus fue-
rit, vt virus animo cõceptũ liberius effundat.

Lutheri
sententia
de liberta-
te Confes-
sionis.

Non multo post & in alio quodã religio-
nis capite Lutheri sententiam improbauit.
Scripterat ille pridẽ in visitatione Saxonica,
secretã peccatorũ confessionẽ, quæ priuatim
fit à singulis more Catholico, in fidelium li-
bertate ponendam; nimirum vt qui vellent
ante communionẽ delicta sua confiterentur,
& absolutionem peterent à suo sacerdote:
Qui verò nollẽt, ad hanc peccatorũ cõfessio-
nem non adigerentur; quam fatebatur vti-
lem esse quidem, at non necessariam tamen.

Refutatur
ab Osiandri.

Hanc Lutheri sententiã probabant cõcio-
natores Norinbergẽses cæteri: Osiander verò,
qui ministerij caput erat, vel Superintendẽs,
eandẽ velut erroneã reijciebat. Cẽsuit enim
priuatam illã peccatorũ confessionẽ omnino
retinendam in Ecclesia, nec ad Synaxin ad-
mittendũ quenquã, nisi sacerdotis ministe-
rio prius absolutũ.

Gliscit in-
ter vtrosq;
dissidium.
Osiander
monetur à
sententia
discedere,
sed frustra.

Quæ sententiã discretiorum discre-
pantia dissidij fomitem inter vtrosq; minis-
trauit. Lutherus vero, cum rem intelligeret, per
litteras monuit Osiandrum, vt cum collegis
rediret in gratiã, & quã animo concepisset o-
pinionẽ deponeret. Verũ id frustra factum:
Osiander enim in sententia perstitit; cumque
discor-

discordia hæc scintillaret grauius, velut publicum aliquod incendium paritura, Senatus Norinbergensis tandem hac de re scripsit ad Lutherum, eiusq; consilium exquisiuit, quomodo controuersia hæc dirimendâ censeret. Ille licet Osiandri sententiam improbaret, tamen quia nouerat hominis ingenium, cauendū sibi putauit, ne quid definiret in hac causa vel cōsuleret, quo duræ cervicis & ingenij ferocioris homo grauius offenderetur. Itaq; datis ad Senatum litteris suauiter agendum censuit: Vtrisq; iniungendum, vt priuatam peccatorum Confessionem (auricularem vocant isti) velut vtilem populo commendēt: Ab Osiandro verò non postulandum, vt publicam absolutionē velut sufficientē probet. Cauendum autē imprimis, ne vel Osiander reliquos concionatores, vel hi vicissim illum in concionibus reprehendant. Hęc Lutherus ad Senatū Norinbergensem ceu vitabundus, ne scilicet in Osiandrum impingeret, à cuius ferocitate sibi non parum metuebat.

Porrò & Germanicam Bibliorum versionem, quam Lutherus adornauit, satis liberè carpebat, notatis etiam locis, in quibus eum inter vertendum aberrasse demonstrauit: Quam Lutherus ægrè quidem tulit; vti sermones ipsius testatur, quos inter suos de hoc negotio priuatim habuit: At publicè contumeliam istâ dissimulauit; quod Osiandrum in hebraicâ, græcâq; linguâ non infeliciter versatum sciret; cum quo nullam sibi controuersiam

ANNO
1537.
Norinbergensium
litteræ ad
Luth. de
controuersia
Confessionis.

Luth. responsio & consilium.

Eius Biblia ab Osiandro sugillatur.

Luth. contumeliam dissimulat.

ANNO

1537.

Eius aucto-
ritate fero-
ciam cohi-
bet Osiander.

esse voluit. Iam & Osiander Lutherum vicissim non nihil verebatur, quem non ignorabat impetuoso esse ingenio, atque acerbius eos insectari, quos odio sibi prosequendos delegerat. Itaque licet opinionem suam de essentiali Dei iustitia teneret mordicus; tamen auctoritate Lutheri ceu freno quodam coercitus fuit, ne scriptis in lucem editis nouam controuersiam suscitaret. At cum Lutherum à medio sublatum intelligeret, ceu vinculo solutus dixisse fertur, mortuo Leone, vulpes & lepores (Melachthonē, & cæteros Ecclesie Lutheranae proceres) se non magno negotio subacturum.

II.

Bellum Ger-
manicum.

Ann. 1548.

Osiander
respicit In-
terim.In Borussia
fugit.Theologia
docet.Errores
suos liberè
in vulgus
spargit.

Secutum est deinde bellum germanicum, cuius terror concionatores non nihil cohibuit, ut quæ inter ipsos erant domesticæ concertationes aliquandiu conquiescerent. Postea cum Cæsar librum ederet ann. 1548. in Comitibus Augustanis approbatum, quem Interim id temporis appellabant, Osiander inter eos fuit, qui Cæsaream hanc Ordinationem respuebant. Itaque Norinberga discedere coactus periculi vitandi causâ in Borussia profugit ad ducem Albertum, cui an. 1522. Lutheranismi virus, ut supra diximus, inhalarat. Ab hoc Principe per quam humaniter & benignè fuit exceptus: Et principio quidem Regiomonte, ubi non ita pridem, anno scilicet 1544. Vniuersitatem erexerat Albertus, Osiander primariam Theologiae professionem consecutus est: Deinde pastor quoque constitutus ciuitatis veteris. Tum verò opiniones

suas

suas de imagine Dei, de incarnatione filij, de iustificatione, alijsq; de rebus, quas supra recensuimus, in concionibus ad populum, tum in prælectionibus academicis, liberius in apertum proferre cœpit.

Erat id temporis inter consiliarios Ducis Borussiae Fridericus Staphylus, vir doctus, & antiquitatis ecclesiasticæ peritissim⁹; qui sententiã rogatus à Principe de dogmatibus Osianensis, respōdit, ea Manetis & Nestorij veterū heretiarcharū erroribus finitima videri. Quod cū Osiander intelligeret, vehementer excāduit; vtq; hereseos obiectæ probrum dilueret, facultatē hac de re colloquendi cum Staphylo corā Principe sibi fieri postulauit.

Ventū est ad Colloquiū, præsentē Principe, disceptatū familiariter de iustificatione: de quo dogmate protestatus est Osiander, eādem se prorsus cum D. Paulo, cumq; Luthe-ro sententiam profiteri: Quod cum negaret Staphylus, series disceptationis in eo velut cardine vertebatur, vt quæ vera esset & genuina D. Pauli, quæ Lutheri sentētia, alter alteri demōstraret. Hic multum sudauit Osiander, vt cōmento suo laruā indueret verbi diuini, seq; nihil ab Apostolo diuersum sentire, nihil à Lutheri mēte alienū, Principi persuaderet. Staphylus autē, vt audaciā hominis in asserēdo cōprimeret, colloquiū quoddam protulit breuiter descriptū, q̄ inter Lutherū & Melanchthonē ann. 1536. de Iustificatione priuatim habitū assererat: Quod cū legeret

ANNO
1548.

III.

Staph. in resp. ad Mel. Staphyli de hæresi Osianensis iudiciū.

Colloquiū Staphyli cum Osiandro.

In ep. Mel. ad Camer. Osiander ad D. Pauli & Luth. doctrinam prouocat.

Conuincitur mēdacijs.

Scriptum Luth. de iustificatione.

ANNO
1548.

Princeps, facile deprehendit Osiandrum à Lutheri sententia toto cœlo in hoc dogmate dissentire. Vterq; sanè quâdam agnoscit imputationē; verum alter ab altero lōgè diuersam: cūm Osiander essentialē inhabitantis Christi Dei iustitiā, Lutherus verò satisfactionē eiusdem Christi, sine inherētia iustitiæ, per fidem solam credentibus ad salutem imputari asserat. Itaq; hic obediētiæ & mortis alienæ; ille verò diuinæ iustitiæ Christi corda fideiū inhabitantis imputationē agnoscit; imputationē inquam, ne vnionē hypostaticam essentialē diuinæ cum iustis ponere videatur. Hanc verò sententiarum discrepantiā, cū Princeps ex sermone colloquētiū, & scripto per Staphylum oblato deprehenderet, propè fuit, vt Osiandri commentum repudiaret, & Staphylo assentiretur, auctoritatē Lutheri secutus, quem vti virum Dei & Germaniæ prophetā semper veneratus fuerat. Osiander verò ne deprehensus videretur, quali fallo ad Lutherum prouocarit, quæsiuit effugiū, Lutheri mentē asserens nō satis certò colligi ex huiusmodi schediasmate, quod ipsius manu non sit exaratum. Hoc cauillatum quidē obiectā discrepantiā elusit. Staphylus autē datis V Wittēbergā litteris, rogauit Melanchthonē, cui admodum familiaris erat, vt ipsius Lutheri autographum ad faciendam huius rei fidem sibi communicaret. Nondum se Staphylus id temporis à Lutheranorum cōsortio penitus auulserat, cūm ab Osiandri

Effugium
Osiandri.

Wittēbergens. interpellantur de genuino Luth. sensu.

Osiandro in hoc certamen traheretur. Itaq; ANNO
 vt Osiandrum falsi conuinceret, petiit auto- 1548.
 graphum ipsius Lutheri; quod an illi trans-
 miserit Melanchthon, necne, incertum est:
 Hoc constat, Osiandrum ab hoc colloquio
 factum indies audaciorem & magis ceruico-
 sum. Imo vt altos gerebat spiritus, insigni
 se honore dignum arbitrabatur, quod quæ
 de rebus tanti momenti Lutherus aliiq; ob-
 scurius tradidissent, ipse tam dilucidè & in-
 signiter explicaret.

Mirabiliter
 sibi ap-
 plaudit.

Imprimis verò laborandū putauit, vt
 adiungeret sibi Principem; sine cuius præsi-
 dio causam non minus, quam seipsum in pe-
 riculo futurū videbat. Nec malè celsit con-
 silium: nam & Principis animum fraudu-
 lenter occupauit, eoq; præsidio munitus
 publicè tandem anno 1549. 24. Octob. hæ-
 reseos inter Lutheranos condendæ telam
 exorsus est; quam vt pertexeret, nihil de-
 inceps, quamdiu vixit, ad summam diligen-
 tiam reliquum fecit. Nec defuerunt, qui se-
 se illi socios ad stabiliendam hæresin adiun-
 gerent. Inter quos primi nominis erat Io-
 annes Funccius aulæ concionator primum;
 deinde pastor ciuitatis veteris, homo doctus
 & astutus, ob Chronologiam editam cele-
 bris, qui filiam Osiandri habebat in matri-
 monio. Hic, vt erat versipellis admodum
 & insignis *καλυπράγμων*, effecit apud Prin-
 cipem, vt adscitus in consiliarium politicis
 quoque negotiis interesset: qua in funcio-

IV.
 Principem
 inficit.

Anno 1549
 Eius affe-
 cla Func-
 cius.

Funccius
 fit consilia-
 rius Ducis.

ANNO
1549.

Capite ple-
ctitur.

Osiandri
discipuli.

ne ita se habuit, vt demum anno 1566. 28. Octob. cum duobus aliis, Matthia Horstio & Ioanne Snellio, publicæ pacis, ecclesiasticæ non minus quam politicæ perturbator, & hostis patriæ iudicatus, & in foro Regiomontano capite plexus, iustam perfidiæ vindictam senserit. Præter hunc Osiandri hæresin amplexi sunt M. Othmarus Eplinius, concionator aulicus, homo sceleribus, & libidine cum primis infamis: tum M. Ioannes Sciurus, hebraicæ linguæ professor: Melchior Isinderus, & Ioannes Aurifabet, Theologiæ Lutheranæ Doctores; cuius & professor erat Isinderus: qui tandem ex Osiandrini dogmatis delirio versus in rabiem, vinctusque catenis horrendis clamoribus & eiulatu ad commiserationem audientis permouit. Hi quia Principem habebant factioni addictum, hæresin Osiandri propagarunt magno studio, & pastores non paucos per Borussia in erroris confortium pertraxerunt: quanquam maxima illorum pars ad hanc se factionem adiungere detrectauit; quorum multi vertere solum, & Borussia finibus exire iussi; inter quos & Ioachimus Mörlinus, Osiandri hostis acerrimus alio commigravit. Præter concionatores & politici quidam hæresin amplexi sunt, Principis auctoritatem secuti potius, eiusque gratiam captantes, quam quod cum iudicio negotium expenderent, aut intelligerent rationum momenta.

Neque

Neq; verò Borussia finibus sese continuit
 lues ista, sed & vicinam Pomeraniam serpsit,
 Vbi Petrus quidam Artopæus Osiandrinam
 hæresin propugnauit. Iam & Osiander ipse
 priusquam Norinberga discederet, semina
 sparsit errorû suorum, quæ post abitû ipsius,
 imò post obitum in ea ciuitate pullularunt.
 Erat inter pastores illius vrbis Lutheranos
 Leonardus Culmannus, qui causam Osiandri,
 quanto conatu potuit, in Germania tue-
 batur. Opposuerunt sese Osiandro in Boruf-
 sia Ioachimus Mörlinus, deuotum Lutheri
 mancipium, pastor Regiomontanus, in ea
 ciuitatis parte, quæ Kniphouium appella-
 tur; cui fuit eam ob causam Borussia finibus
 excedendum, vti diximus: tum Petrus He-
 gemon, Georgius Venetus, Martinus Kem-
 nitijs, ille Tridentini concilij sigillator, qui
 sub id tēpus custos erat & præfectus Biblio-
 thecæ ducalis, quam Albertus contractis vn-
 decunq; codicibus instructissimam habuit.
 Alij; multi per Borussia concionatores,
 quos recensere n. hil attinet.

In aula Principis Osiandrum auersaban-
 tur velut hæresiarcham, Cancellarius Ioan-
 Creitzius, Iuris Doctor, tum nobiles & con-
 siliarij pleriq;: In quorû numero fuit & Fri-
 dericus Staphylus, de quo diximus paulo su-
 pra, vir eruditione summa exactoque iudi-
 cio præditus; qui non multo post, quâ ex-
 orta fuit Osiandri hæresis, ad Ecclesiam se
 Catholicam adiunxit.

ANNO
 1549.

Virus Osi-
 andrinum
 in Pome-
 raniam ex-
 currit.
 Eius pro-
 pagator
 Culman-
 nus.

Kemnitius
 concilij
 Trid. ro-
 sor, & vel-
 licator.

V.

Consiliarij
 Principis
 ab Osiand-
 ro auersi.
 Epitome
 conuersio-
 nis Staphy-
 li.
 Stap. in def.
 trim. Theat.
 Luth. c. 2.

Vixit 3. 4.

1549.

Wittenber-
gam abit.Ad superin-
tendencias
inuitatur.Fit Profes-
sor Acade-
mię Regio-
montanę.Posthęc
Confilia-
rius Ducis.Vitabun-
dus hęcet.

Vixerat hic Staphylus, vt hoc obiter in-
feramus, aliquandiu studiorum causa in Ita-
lia: Vnde reuersus, V Wittenbergam, se con-
tulit, vt quam Lutherus Ecclesię litem mo-
uerat, penitus cognosceret. Hęcit istic an-
nis plus decem, & hausit ille quidem in-
tereā plusculum nouę contagionis; At eo
tamen progressus non est, vt ecclesiasticam
functionem inter Lutheranos, docendiue
munus imponi sibi pateretur: quanquam
Lutherus, Melanchthon, alijque honoratas
illi condiciones obtulerunt; scilicet, vt Lu-
becę, vel Augustę, vel Brunsvici Superin-
tendentis aut Episcopi munere fungeretur:
quin & à Megapolitanis quoque Ducibus
vocatus fuit: verum ille perpetuò recusa-
uit, quod animo nondum planè auulsus ef-
set ab Ecclesia veteri, sed hęcitans dubitan-
tis instar Lutheranum negotium multas ob-
causas haberet suspectum. Sub initium verò
belli Germanici reuersus ad suos in Borus-
siam, Alberto Duci locauit operam suam,
primum, vt in Academia professorem age-
ret; mox cum huic functioni renunciasset,
vt à consiliis esset Principi. Atque hoc in
statu fuit Staphylus, cum Osiander è Fran-
conia profugus in Borussia sedem sibi deli-
geret. Quanquam verò professione iure-
consultus erat, non Theologus, sed ulò ta-
men in eam curam incubuit, vt in publica
rerum perturbatione, & fluctuatione men-
tis, qua iactabatur, circumspiceret portum,
ad

ad quam ex illo variarum hæreseon tempe- ANNO
 stuofo mari cursum dirigeret. Cumque di- 1549,
 ligenter euolueret sanctorum Patrum mo- SS. Patres
 numenta, & faciem in ijs intueretur Eccle- euoluit.
 siæ primitiuæ, magis magisque Lutheranis-
 mum fastidire cœpit, & à nouis dogmatibus
 abhorrescere. Tandem re multum delibe- Ad gremiũ
 rata, portum ingressus est Ecclesiæ Catholi- Ecclesiæ
 cę Romanę, à sanctis Patribus, velut intento Catholicæ
 digito monstratum; nec inde se passus est, reuertitur.
 quoad vixit, vllis persecutionum procellis
 aut hæreseon flatibus exturbari. Quin & Borussia
 hanc ob causam è Borussia discessit, postea- excedit.
 quam anchorã fixit in Ecclesiæ portu, vt ab
 ijs corpore seiunctus viueret, quorum erro-
 res animo pridem auersabatur.

CAPVT III.

- I. *Osiander in Staphylum, Melanchthonem, & Lutheranos calamum acuit.*
- II. *Melanchthonis scriptum & suffragia VVittenberg. contra Osiandr. atque eiusdem vicissim confutat. in illos.*
- III. *Feracitas hæreseos Osiandrina, truculentia eius, epitheta, Caluiniq; de eo iudicium, cum pauiditate tyrannica.*
- IV. *Apoplexia Osiandri, agon horribilis, mors & sepultura tragica.*

INTERIM verò, dum esset in ministerio Ab Osiand-
 Principis, Osiander errores suos in Bo- ro odio
 russia profeminare cœpit, vti iam ante dixi- expositus
 mus, Staphylus!

ANNO
1549.

Melanchthon in-
clementer ab
Osiandro
exceptus.

Osianderi
scriptum
censuræ
Luthera-
norū sub-
ijcitur.

Dissidium
inter Lu-
theranos.

mus, & hunc Staphylum inter reliquos ad-
uersarios acerbo cum primis odio persecutus
est; quod dogmata ipsius hæresibus olim ab
Ecclesia damnatis finitima, & à Lutherano-
rū placitis aliena demonstraret. Hoc ipsum
autem & Lutherani scriptis in lucem editis
asseruerunt; quos cum Osiander contra se
videret insurgere, & ipse profiliit in are-
nam, editoque libro de Iustificatione magno
impetu Lutheranos aggressus est. Inter eos
vero Melanchthonem, qui Luthero mortuo,
velut Elisæus quidem Eliæ germanico suc-
cesserat, asperius & inclementius tractauit.
Nouerat Augustanam confessionem ab hoc
conscriptam, cuius hostem sese atque aduer-
sarium in doctrina de iustificatione satis a-
pertè profitebatur. Itaque autorem illius o-
dio maiore, quam cæteros persecutus est, &
in libro, de quo diximus, durius flagellauit.
Atq; hic liber, ubi prodijt, ad censuram con-
tinuò reuocatus est à Lutheranis: Manda-
tum concionatoribus passim, vt de eo iudi-
cium suum perscriberent: quæ res turbarum
publicique certaminis initium dedit. Dum
enim hi damnant Osiandri dogmata, ille ve-
rò hæceadem magno conatu tuetur, acerbam
fuit & fœda inter vtrosq; suborta concerta-
tio: quæ cum sæuaret in ipsis Ecclesiæ Lu-
theranæ visceribus, & vtrique ad scripturas,
ad D. Pauli mentem, ad Lutherum ipsum
tumentibus buccis prouocarent, multis cau-
sam Euangelicorū suspectam reddidit. Catho-
li.

tholici verò cōtrouersiam hanc inter ope- ANNO
rationes retulerunt spiritus illius vertigi- 1549.
nosi, cuius agitatione Lutherani præcipites
ab Ecclesia Catholica primum dissilierunt.

Cæterum quia Melanchthonem impri- II.
mis petebat Osiander veluti ducem erran- Melanch-
tium, imo velut autorem falsi dogmatis thon Osi-
de iustitia imputatiua, fuit illi honoris tu- andrum vi-
endi causa prodeundum in publicum, & tabundus
cum Osiandro congregiendum, ne causam refellit.
deseruisse videretur. Quamquam tardius
Melanchthon & minus alacer, quam zelo-
tæ Lutherani quidam in hanc arenam de-
scendit, atque ita causam egit, vt parum a-
nimi habere, imo defugere congressum vi-
deretur. Testatur hoc, quem in Osiand- Eius libel-
rum scripsit, libellus breuis germanicus, lus germa-
in quo languidè admodum, & pauentis in- nicus.
star cum aduersario manum conserit, seque
multa dicit altercationis fugiendæ studio
præterire. Procedit igitur ceu vitabundus,
dum Osiandro respondet, eiusque punctu-
ras atque ictus dissimulat, quibus erat gra-
uiter irritatus. In fine libelli colloquium
illud subiungit anno 1536. cum Luthero ha-
bitum de iustificatione, quod Staphylum
in congressu cum Osiandro produxisse di-
ximus; nimirum vt demonstret, eandem Suffragia
suam esse, quæ Lutheri fuerit de iustifica- Witteber-
tione sententiam; à qua cum Osiander di- genis Aca-
scesserit, frustra Lutheri testimonia per eum demia pro
ad stabiliendos errores adduci. Quin & Melanch-
thone,
suf-

ANNO
1549.

Imprimis
Io. For-
steri.

In subscript.
libelli Me-
lanch. F. ij. b

suffragia doctorum quorundam adiungenda censuit in Academia VVittenbergensi; qui subscriptis nominibus consensum hac in re quendam testatum facerent. In eum finem scriptū hoc approbarunt Ioannes Pomernus, Pastor VVittenbergensis, & Ioannes Forsterus hebraicæ linguæ professor; uterque Doctor Theologiæ Lutheranae, testati, quam Melanchthon in hoc libello tueretur, eam genuinam esse Lutheri & Augustanae Confessionis sententiam: quam Olander, inquit Forsterus, tetrīs præstigiis atque sophistica, quibus simplices & rudiores animos fascinat, euertere conatur; idque non tam sinistro S. Scripturæ intellectu, & perversa scriptorum Doctoris Martini, aliorumque piorum virorum detorsione facit, quam quod ostentatione ingenij & ambitione flagrans antiquo suo obsequitur ingenio. Præterquam etiam quod plurima rabiosissimaque conuitia in innocentes nos superbè & contumeliosè ingerit, petulanter quoque & impiè multa contra verbi Dei efficaciam, & contra passionis & mortis filij Dei meritum euomit. Atque adeo in articulo iustificationis ex merâ hebraeæ linguæ ignorantia, cuius tamen excellentem præ alijs impudenter sibi arrogat cognitionem, horribiliter impias suas defendere & stabilire conatur opiniones. Profiteor itaque bonæ fide, recte ac iuste hic reprehendi, & veris ac firmis argumentis nostra etiam approbatione

tione & consensu refutari Oslandri errores. ANNO
Hortor denique omnes pios, cordatos, & 1549.
tranquillitatis Ecclesiae amantes, vt rabiem
& furores Oslandri auersentur & fugiant.

Hæc Forsterus in Oslandrum; qui vicif-
sim cum in lucē prodijset libellus hic, cau-
sæ suæ non defuit. Edidit enim continuo
scriptum contrarium itidem & Germanicū
in Melanchthonem sub titulo Confutatio-
nis, in quo rationes illius diluit; & quibus
potest præsidij sententiam suam tuetur. Im-
primis verò confidenter asserit, longè aliam
esse Melanchthonis quam Lutheri de iustifi-
catione sententiam. Id testari dilucidè satis
libros ipsius Melanchthonis; Ex quibus di-
cipulos ait ad quatuordecim opiniones hau-
sisse de iustificatione; discrepantes quidem
illas, tametsi quilibet suum hac de re cōmen-
tum pro vero sensu Augustanæ Confessio-
nis haberi postulet.

Oslandri
scriptum
contra Me-
lanchtho-
nem Con-
fufatoriū.

14. Opiniō
nes de Iu-
stificatione
inter Me-
lanchtho-
nicos.

VVittenbergenses etiam hanc ob causam
mordaciter exagitat, quod qui lauream do-
ctoralem isthic suscipiunt, iuramento ad Au-
gustanam Confessionem astringantur. Quid
autem, inquit, iuramentum istud, quod Do-
ctores & Magistri VVittenbergæ præstare
coguntur, operatur aliud, nisi quod iurantes
à sacra Scriptura diuulsos ad symbola & Phi-
lippi doctrinam alligat? Certè VVittenber-
gensis Doctor, aut Magister homo miser est,
& velut in carcerem compactus, dum iura-
menti compedibus in conscientia constri-

Eius de
promissio-
nibus Wit-
tenbergen-
sententia.

n n ctus

ANNO
1549.

ctus tenetur, & implicatus. Abiuravit enim
Dei verbum, seque iuramento ad Philip-
pi doctrinam astrinxit. Os sibi passus est ob-
strui pilâ, vel cuneo iniecto, quod in grauissi-
mis fidei causis, nihil proferre velit aut elo-
qui, nisi re cum senioribus, qui Confessio-
ni fideliter adhereant, prius deliberatâ. Cum
his Confessione adhærescendum est vigore
iuramenti, etiamsi Sacræ litteræ aliud affe-
rant; nisi periurus haberi velit. Ita secre-
particeps est huiusmodi conspirationis, quæ
hominibus potius, quam Dei verbo nixa
confistit, ideoq; non parum nocementi ad-
fert orbi Christiano.

Rigidos
Luthera-
nos cala-
mo per-
stringit.

Hæc Oliander. Iam verò præter Meläch-
thonem & alios aduersarios aggressus est
scriptis in lucem editis, Ioachimum Mörli-
num, Matthiam Flacium Illyricum, Nico-
laum Gallum, & Anonymum quendam, quæ
hic fugam & nycticoracem appellat; quos
insolenter & mordaciter insectatus est more
suo, atque ita causam egit, ut animum prode-
ret in erroribus obstinatum. Auxit ferociam
hominis & obstinationem fauor Principis,
cuius animum, ut erat subinciuii morum
compositione versipellis, per cuniculos oc-
cuparat. Huius igitur patrocínio fretus in
Borussia quidē stabiliiuit res suas, & clamo-
res Lutheranorum ex alijs regionib. allatrat-
tium facilè contempfit. Nec dubium est,
quin hæresis ista maioribus incrementis au-
cta fuerit, atque altiores egerit radices,
nisi

Ferocior
fit fauore
Principis.

nisi mors Osiandrum paulò maturius è medio sustulisset.

ANNO

1549:

III.

Feracitas

hæreseos

Osiandrinæ:

Vixit ab eo tempore, quo confirmatus accessione Principis hæresin in publicum proferre cœpit, non integrum triennium: Quo tempore multa scripsit Osiander latinè partim, partim germanicè; scripserunt & alij passim, qui se cum Osiandro coniunxerant; tantoque ardore diffundebatur malum, vt singulis penè mensibus noua in orbem Osiandrinorum scripta prouolarent. Aiunt Osiandrum ipsum, cum sermonem haberet de instituto suo, dicere solitum ad quendam magnæ nobilitatis virum: Tria A. A. A. meam causam defendent Rogatus, quid per A triplicatum intetelligeret, germanicè respondit, Omnipotentem (den Allmächtigen) Albertum & Adamum; præter Deum, Borussiae ducem Albertum, & carnificem Regiomontanum designans, cui tum nomè erat Adamo. Sermo hic truculentiam sapit, & hominem ingenio fuisse testatur ad crudelitatem propenso.

Eius truculentia.

Schlusselb.

in hæres. O-

siand. p. 243

Erat certè ferox Osiander, inhumanus, fastuque turgidus, admirator sui, aliorum contemptor, impotens, effrenis, iracundus, & dominandi cupidus; in aduersarios verò contumeliosus supra modum: nec quisquam ferè è Lutheri discipulis ad præceptoris genium & mores accessit propius. Quin & profanus erat in vitâ, nec abuti sacræ Scripturæ verbis, eaque in ludibrium vertere

Osiandri
epitheta:Caluini de
eo iudiciū

nn 2

duxit

ANNO
1549.
*Caluin. in
ep. & resp.
pag. 145.*

duxit piaculum. Deprehendit ista ex con-
sortio hominis in colloquio VVormatiensi
Caluinus, cuius testimonium de Osiandri
moribus ex epistola quadam ad Melanch-
thonem subiungo: Quod se Osiander, in-
quit, nobis subduxit, imò non sine violento
impetu se proripuit, non mirum, nec tanto-
pere dolendum. Tu enim expertus pridem
es, ex eo esse ferarum genere, quæ nunquam
cicurantur. Et ego semper inter nostra dede-
cora eum numeravi. Quo certè die mihi pri-
mùm visus est, prophanum hominis inge-
nium, & fœdos mores sum detestatus: Quo-
ties suaue ac generosum vinum laudare vel-
let, has in ore habebat voces: Ego sum, qui
sum. Item: Hic est filius Dei viui; quæ ma-
nifesta Dei ludibria proderent. Quo magis
sæpè miratus sum, vestrà omnium indul-
gentia talem beluam foueri: præcipuè ve-
rò, cum locum in præfatione quadam tuâ le-
gerem, vbi post VVormatiensè insanix spe-
cimen plus quam liberaliter abs te laudatur,
obstupui. Sed faceflat ille, quem alienissi-
mum à nobis esse expedit. Hæc Caluinus.
Interim licet in moribus, in sermone, in scri-
ptis publicis magnum præ se ferret animum,
& quasi ferociret, pauidus tamen fuit, vt
est tyrannorum genus, & consternatæ men-
tis non obscura dedit indicia. Certè ab eo
tempore, quo publicè tueri errores ac pro-
pagare instituit, licet addictum haberet Prin-
cipem, vix tamen ausus fuit in publicum pro-

*Schlusselb.
in Osiand.
pa. 241. 241*

Osiandri
pauiditas
tyrannica.

prodire, quod se minimè tutum in plateis ANNO
futurum arbitraretur. Cum autem domo 1552.
prodeundum omninò fuit, armis aiunt ex-
teriori veste tectis accinctum plerumq; per
plateas inambulare visum: Quæ nec in scho-
lis, nec in Ecclesia deposuit, cum vel obeun-
da esset professio, vel concio ad populum
habenda.

Cæterùm, in medio cursu, dum sâtagit re-
rum suarum, dum luctatur cum aduersarijs,
& recens natam hæresin magno studio pro-
pugnat, anno 1552. mense Octobri, tactus Anno 1552
apoplexiâ repente concidit, & post durum Apoplexiâ
agonem 17. Octobris animam exhalauit. flagellatur.
Nondum compleuerat annum ætatis quin-
quagesimum sextum, cum sensit manum
Domini: Erat autem horribilis apoplexia, Ex ea mo-
quæ Oslandrum extinxit, in qua cum sum- ritur.
mis angoribus ad finem vsque luctatus, sine
villo resipiscentiæ signo decessit. Qui vide- Eius agon
runt extremos trahentē spiritus, imprimis horribilis.
fœmina quædam, quæ sola reliquis discen-
dentibus apud eum remansit, viditque mo-
rientem, optasse feruntur, ne huiusmodi
morte vitæ curriculum terminarent.

Corpus exanime alieno sepulcro Regio- Regiomon-
monte in Ecclesia ciuitatis veteris illatum te tumula-
fuit: Factum hoc est inuitis ijs, & quantum tur.
possent repugnantibus, qui eo loco sepultu-
ræ ius habebant. Non diu post erutum ca-
dauer denuò fuit, & obscuriore loco in ea-
dem Ecclesia defossus. Cum verò pro sum-

ANNO
1552.

mo animi tumore nominis existimationem
inter homines semper captarit, breui post
mortem apud Regiomontanos in eam venit
obliuionem, vt quo loco tumulatus sit, vix
quisquam possit ostendere. Nec alia super-
est ipsius memoria, nisi quod à Catholicis
non modo, sed à Sectarijs etiam inter
infames hæresiarchas postremo-
rum temporum cum er-
roris detestatione
nominetur.

(:.)

*Finis vite rerumq; gestarum Andrea
Osiandri.*



IN